

aliquo audeat piscare in dicta palude nec de lostrigis circa ipsos pallos natis ¹⁾ accipere vel colligere sine presentia vel licentia ipsius emptoris, et hoc ²⁾ tantum quantum tenent dicti palli versus ipsas salinas, sub pena centum sold. par. pro qualibet persona et vice qualibet contrafacta.

5

Cap. XIII. Rubrica de venditione sive locatione furnorum comunis.

Statuimus quod furni comunis omni anno incantentur quindecim diebus ante terminum venditionis ipsorum, et in capite ipsorum quindecim dierum deliveretur super scalis comunis plus offerenti. Et emens ipsos furnos habere debeat et tenere et de ipsis gaudere per unum annum completum, incipiendo a die sexto mensis aprilis in antea usque ad complementum anni, et emptor ipsorum fornorum solvere debeat precium
 254 A emptionis // in fine omnium quatuor mensium anni predicti pro rata ipsius precii, et dare bonam et ydoneam securitatem de solvendo, ut in statuto de venditione daciorum comunis continetur. ¶ Ad quos vero furnos quelibet panicocula et hospes civitatis et comunis Tergesti utriusque sexus teneantur et debeant facere et coquere sive coqui facere eorum panem et non alibi, sub pena viginti quinque libr. par. pro qualibet panicocula sive hospite utriusque sexus contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quelibet persona coquens panem ad dictos furnos dare debeant fornaticas fornariis eorundem secundum usum Tergesti, prout dantur aliis furnis, quarum fornaticarum ipse emptor sive conductor habere debeat partem suam secundum conventionem factam inter ipsum et fornarias ipsorum furnorum. ¶ Et dictus ³⁾ emptor suis expensis pepigere debeat cum ipsis fornariis et eisdem solvere et attendere conventiones inter ipsos factas prout melius poterit. ¶ Et comune Tergesti exinde substinere nec facere debeat aliquas expensas nisi in aptatione ipsorum furnorum et domus si necesse fuerit, et ipse emptor ac etiam fornarie ipsorum furnorum

10

15

20

25

30

¹⁾ natas. ²⁾ Aggiunta marginale. ³⁾ dictis.